DE

PRODROMIS MORBORVM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRAESIDE

BERNHARDO CHRISTIANO
O T T O

PHILOS. ET MEDIC. DOCT. MEDIC. PROFESS. P. O. SOCIET. PATRIOT. OECONOM. SILES. ET MARCH. PHYSIOGRAPH. LVNDENS. NATVR. SCRVTAT. BEROL. ATQVE HALENS. SODAL. ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

A. D. IV. OCTOBRIS cIɔIɔccIc.

DOCTORIS MEDICINAE ET
CHIRVRGIAE GRADVM

LEGITIME CAPESSVRVS
SOLENNITER DISSERET

AVCTOR

JOSEPHVS WOLFF

BEROLINAS.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

VIRO

ILLVSTRISSIMO GENEROSISSIMO

SIGISMVNDO LVDOVICO
JOACHIMO
A BROCKHVSEN

AVGVSTISSIMI BORVSSORVM REGIS

CVBICVLARIO

DYNASTAE PRAEDIORVM

CARMZOW, RIETH, ZOLTIKOW,
JVSTIN CET. CET.

FAVTORI SVO

AD CINERES

VSQVE VENERANDO

HVNC ACADEMICVM LIBELLVM

IN

ANIMI GRATISSIMI DOCVMENTVM

CVM PERPETVAE FELICITATIS

ET OMNIGENAE PROSPFRITATIS

VOTO

D. D. D.

MAXIMIS ET PRORSVS EGREGIIS BENEFICIIS

DEVINCTISSIMVS

AVCTOR,

VIRO

EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO

JOHANNI CAROLO SAMVELI

V I L L A V M E

AVGVSTISSIMI BORVSSORVM REGIS

AB EPISTOLIS INTIMO

F A V T O R I

SVMMOPERE SIBI COLENDO

IN PIETATIS ET VENERATIONIS

MONVMENTVM

HANC ACADEMICAM COMMENTATIONEM

CONSECRAT

AVCTOR.

Aus alle dem, was ſich in den Krankheiten ereignet, ſchöpfen und vermehren wir unſere Einſichten.

Hippocrat. Werke a. d. Gr. überſ. u. m Erl. v. D. I. Fr. Grimm. I B 3. Abth. p. 33.

PROLOGVS.

De temporibus circa morborum geneſin notandis.

Praeclare illud diui Hippocratis monitum: *ex omnibus diſcendum eſſe* *) *quae accidunt in morbis*, vlterius adhuc extendere liceat, adeo vt non ſolum ex omnibus diſcendum ſit, quae accidunt in morbis, ſed etiam ex iis quae ante morbos contingunt, eosque praecedunt.

Praeteritum et praeſens et futurum vnum idemque medico obiectum conſtituunt praebentque. Etenim haud raro quae tribus his temporibus accidunt, cauſae inſtar atque effectus inter ſe connectuntur, et quamuis ſingula phaenomenorum ſeriem conſtituant, omnia tamen ſimul ſumta ſingularem quoque offerunt phaenomenorum ſeriem.

---

*) Joh. Freind. Comm. de febribus ad Hippocrat de morb. popularibus libr. I. et III. accomod. Amſtel. 1717. p. 23. n. 20.

a) Morbus praeſens aut cum praeterito aut cum futuro aegroti ſtatu imediate cohaeret. *)

b) Aut cum vtrisque ſimul.

c) Aut denique cum neutro.

d) Quinimo nonunquam non ſolum cum neutro ſed ne cum praeſenti quidem ſtatu cohaeret, id quod abſonum videri poſſit.

I. a) Maxima profecto ſtatus praeteriti ratio eſt ad morbos inumeros, prout enim HIPPOCRATES iam acutiſſime monuit, quantum tempeſtates quae anteceſſerunt ſibique ſuccedunt ad morbum praeſentem faciant, ſic nulla non legitur morborum hiſtoria ab eo concinnata, in qua ſtatum praeteritum ſeu aëris conditionem ſeu victus rationem aut vitae genus ſpectas, ſapienter enumerat. Quatenus HIPPOCRATEM ſequuti in morborum hiſtoriis aeuo noſtro concinnatis praeteritum ſtatum ſatis aeſtumauimus, aut pe-

*) De morbi praeſentis cohaerentia eatenus modo ſermo nobis eſt, quatenus cum indicatione rationem habet.

penitus neglex imus, noſtri non eſt nunc exponere, id tantum vrgemus, ad morbum praeſentem eumque inprimis prorſus formatum diiudicandum vel maxime facere, ſummeque neceſſarium eſſe ſtatus antecedentis cognitionem. Id quod innumeris exemplis facile probari poſſet. Suntne morbi qui epidemici dicuntur ſtatum antecedentem ſequaces? Quid, quod iuxta HIPPOCRATEM ſenum alui ſegnities iuniorum laeuitati reſpondet et contra. Chronicorum morborum plurimi vtrumque ex antecedente ſtatu ſequuntur.

Neque vero minus conſtat praeſentis morbi et ſtatus futuri commercium, morborum grauidarum exemplo, qui non modo nec cum praeterito ſtatu, nec cum praeſente grauiditate ſed vel maxime cum ſtatu futuro ſcilicet inſtante partu cohaerere ſolent *). Quorum multi ante partum nec curari poſſunt, nec debent, a partu autem natura ipſa iudicantur.
Sic

*) Vid. not. I.

Sic v. c. morbum regium haud impune occupas in iis, qui in vtero gerunt, quem a partu ſponte ſanat vis medicatrix naturae.

Huc quoque referre licet morbos, quae dentitionis tempore infantibus contingunt, quibus tamen iuſtos limites relinquimus, quos poſuit vir praeſtantiſſimus doctrina et praxi inſignis *).

Neque praeterire licet virginum morbos, dum prima menſtrua prodeunt, ſpasmos, motus epilepticos, qui protinus ac ſibi natura ſatisfecit, ſoluuntur, et iuxta HIPPOCRATEM aut ſponte ceſſare debent, aut omnem ſanationem plane reſpuunt.

II. b) Quod praeſens morbus cum praeterito ſtatu atque futuro ſimul cohaerere poſſit, teſtatur hominis exemplum, qui adoleſcens frequentem ſanguinis ex naribus ſtillationem expertus eſt, at cum diu iam penitus ceſſauit ſtillatio, in haemoptiſin incidit, et dein phthiſi pulmonali corrumpitur.

---

*) *Ideen zur Diagnoſt. von* WICHMANN B. II. Hannov. 1793.

pitur. Docuit autem experientia adolescentes frequentes narium haemorrhagias passos saepius contabescere. Quo in casu haemoptisin tanquam praesentem morbum cum vtroque statu et antecedente et futuro commercium habere manifestum est.

III. c) Neque tandem destituimur exemplis, quae cum neutro statu commercium habere morbum praesentem edocent. Huc quodammodo pertinent variolae, morbi aetatum, tempestatum anni, et praecipue ii, qui vi externae ortum debent.

IV. d) Illis denique, quibus ne cum praesenti quidem statu commercium est, adnumerari licet morbos haereditarios, de quibus autem, cum natura eorum iat nondum est exposita, vix dici potest, quis sit eorum quos diximus status cum quo cohaereant, propterea quod in vtero iam labes est contracta.

Nolim, vti HOFFMANNO videtur, ex eadem cum parentibus educatione, regimine et vitae genere parentum vitia ad prolem transmissa et propa-

gata

gata explicare, quippe quod ſaepius contra euenit. At quum de commercio quod eſt praeſentem morbum inter et diuerſorum temporum ſtatus verba fecimus, noli putare, eorundem aliquem nos pro cauſa proxima morbi venditare. Multum enim interuenit, quod caſu accidit eos inter quos diximus ſtatus et morbum ipſum praeſentem, id quod a vera quam pathologi de cauſſa proxima formarunt idea, longe alienum eſſe probe nouimus.

De his autem praefatum eſſe ideo non poenitet, quoniam morbum quemcunque hac ratione intueri medico non ſolum vtiliſſimum, ſed etiam neceſſarium eſſe duximus, quibus tamen, quum noua protuliſſe nobis non videmur vltra immorari nolumus, propoſito noſtro propius acceſſuri, quod eſt differere de quibusdam morborum phaenomenis medicorum attentione digniſſimis, quae propatia, prodromos nuncuparunt. Et de his quidem in genere dicendum eſt.

De prodromis morborum generatim.

πρόδρομοι dicuntur venti qui Etesias praecedunt, quasi earum praecessores.*)

Prodromus est morbus ex sui genio alium superuenturum indicans: vt angustia pectoris phthisin vel rachitidem praesagit ex prodromis, *ein Vorlaufer, Vorbothe.* **)

§. I.

Notionem medicorum de morborum prodromis adaequatam non esse.

In quo omnes medici consentiunt, id est, quod, anteaquam prorsus irruunt morbi, aut e longinquo aut propere sese annuncient, multi subito incidant iique interdum pessimi, alii autem qui diu antea nuntios miserunt plerumque maligni. At hi

*) GORRAEI Definit medic Fr. ad. Moen. 1578. pag. 388.

**) BLANCARD. Lex. Med. Hal. Magd. 1740.

hi nuntii, indices, prodromi morborum dicuntur.

Eiusmodi autem ſunt haec phaenomena, vt ſeu ad laeſas illaeſasue c. h. actiones ſpectes, adtentiſſime conſiderari mereantur, id quod minus factum eſſe nouimus, medicorum enim de prodromis notionem multa omnino aliena et arbitraria ſubire videntur.

Prodromi et ſtadium morborum primum ſeu initium, ni egregie fallor, reuera inter ſe inuicem differunt nec vna eſt eademque ſignificatio verborum, quibus promiſcue vti errores adducit, id quod tamen vſu eſſe videtur.

§. II.

Quod luculentis nonullis exemplis oſtenditur.

Stollivs *) qui ſcorbutum in duo ſtadia diuidit, inquit: ſtadium primum, tum pergit in enumerandis ſignis morbi pathognomicis, deinde addit: haec ſunt ſcorbuti prodromi. Ex quo manifeſtum eſt, vnum illi idemque haberi ſtadium primum morbique prodromos.

Pari

*) M. Stollii praelection. in diuerſ. morb. chron. Vindob. 1788. p. 1.

Pari modo Synochum non putrem, qui Londini tunc temporis grassatus erat, delineauit GRANT*) et descripta prima morbi periodo, haec ait, prodromi morbi sunt, qui alteram eius periodum absoluunt.

Neque vero ita sentire videtur SYDENHAM, qui primum podagrae insultum antecedere prodromos refert, neque igitur primum morborum stadium et prodromi eadem illi esse videntur. **)

Quos ergo multi recentiores maximi aestumant eidemque morbo ab hoc ipso diuersos prodromos antemittunt, eos alii e contrario eiusdem morbi primo stadio, vt dicunt, adnumerant.

Antequam autem vlterius progrediamur, accuratius rem nostram definire interest.

§. III.

Prodromi morbi. Definitio nostra.

Varia illa molesta nec in statu qui est secundum naturam consueta phaenomena et

*) GRANT *Beobachtung über die Natur und Heilung der Fieber I B* 192.

**) SYDENHAM Opp. S. 11. p. 273.

et ratione corporis et animi obuia, quae a plerisque adeo tantum ſentiuntur, vt aliquantulum adhuc integri negotiis fungi valeant, haec quatenus preſſo pede morbus ſequitur morborum prodromi ſunt.

Amplectitur haec noſtra definitio notas characteriſticas ſequentes:

a) phaenomenorum varietatem.
b) mentis rationem habendam eſſe.
c) quod vltra gradum definitum progredi non debeant prodromi.
d) quod morbis reuera antecedant.

§. IV.

Noſtrae definitionis explicatio atque illuſtratio.

I. Phaenomenorum quae morbos antecedunt varietatem docuit experientia, indicit denominatio. Quamquam non omnis aeque pateat. Quatenus enim non niſi ex aliorum ratione morbum ſimplicem vocari licet, varias eſſe debere morborum prodromos infra adhuc pluribus euincere conabimur, quum de natura eorum in genere dicendum erit Vtut enim contingat, vt morbi alterius morbus ipſe ſit prodromus, ille tamen tanquam prodromus varie compoſitus eſt.

II. Altera conditio, ex qua mentis ratio habenda eſt, ſat elucere videtur. Homo enim nec corpore nec animo ſolo ſed vtriusque harmonia integer conſtat *) Neque in illo acquieſcere debet qui corporum, neque in hoc qui morum curam gerit.

Verum enim vero ex phaenomenis, quae prodromis morborum adnumerantur, alia menti potius adiudicandae ſunt, alia corpori, quorum igitur omnium origo partim ex animi motubus petenda eſt, quorſum etiam praeſagia pertinent, ſcilicet quum futura, quae poſſint accidere, animo praeſentimus et prouidemus. Quod vt luculentius pateat, in ſingularis morbi prodromos inquirendum eſt, quorum tamen cuique phaenomeno iuſtum locum definire perquam difficile eſſe concedimus

*) v. PLATNERI Anthropologie, p. 1. p. IV. Leipzig 1772. Huc quoque illud HIPPOCRATIS; *quod et cuiusque animi et corpora plurimum inter ſe diſſerant et praeſtent*, id quod praeclare interpretatus eſt vir doctiſſimus GRIMM: *die Seelen der Menſchen und Körper ſind zwar von einander höchſt verſchieden, und haben doch eine groſse Gewalt auf einander.*

mus, id quod ſaepiſſime non niſi morbo iam formato fieri poteſt.

III. c. Eſt denique modus, quem ſi prodromi transgrediuntur, adeo vt aeger ſuccumbat, prodromi eſſe deſinant, et morbus incipit, prout a GALENO iam definitum eſſe morbi principium legimus. A quo tempore, inquit, proſternuntur, quos febris prehendit, morbus incipit. Quantum autem ambigua ſit haec de morbi principio notio, praeſtat tamen ceteris Diſſicilius enim et errori vario obnoxium eſſe videtur a cauſſa prima conſtituere principium morbi.

IV. d. Explicatione non eget vltima conditio, ſi quidem enim nil ſequitur phaenomena, incommodum potius appellari fas eſt.

§. V.

De ambiguitate earum conditionum quae prodromis morborum inſunt.

Ea autem, vt protinus liquet, omnium harum conditionum ratio eſt, vt multum ex

ex quo pendent casu fortuito accidat aut ex propria cuiusque natura eueniat. Sic. v. c. phaenomenorum varietatem efficit aut morbi instantis grauitas, aut nimia aegrotantis vis sentiendi, quae in omnibus et singulis tantopere differt.

Eadem alterius conditionis ratio est. Quis est enim, qui accuratissime ponderet, quantum menti, quantumque corpori tribuendum sit, quantum denique pertineat ad singularem cuiusque corporis naturam. Grauiorem morbum aut leuiorem animi pathemata reddunt.

Quem febris inflammatoria simplex prehendit, cum animus perturbatur, desinit esse mitis febris ex se benigna. Et quem malignum dicunt morbum pessimus euadit, cum eo tempore hominem occupat, quo spes illi frustratur votorum compos fieri. At haec quoque a phaenomenis morbum antecedentibus moderantur. Neque igitur inepte consultum est animum attollere, quum de eo agitur vt contra epidemiam e. c. pestem muniri interest. Quibus etiam argumentis tertia nititur conditio nostra, quam tot tantaque subeunt fortuita atque ex singulari cuiusque hominis natura explicanda, quae simul decidunt, num citius tardiusue aeger succumbat.

§. VI.

De difficultatibus quas habent morborum prodromi, si ad declarandum illorum naturam in subsidium vocantur.

Ex harum omnium conditionum indole, quae adeo moderantur casu, et singulari corporis habitu satis superque patet, quantulum faciant prodromi ad accuratam et tutam morborum cognitionem, distinctionem, et prognosin. Nec non ex iisdem phaenomenis secundum variam aegrotantium naturam et caetera accidentia diuersis ratio petenda est, cur tantum non omnes sine prodromis aggrediantur morbi, cur vnus idemque morbus mox sine prodromis irruat, mox illis antecedentibus incedat, cur maiori minoriue numero, grauiores aut leuiores diu ante morbum aut dum proxime instat praecedant, aut penitus desint, febris putridae vt vocant exemplo quem diu interdum praecurrunt prodromi, dum eadem etiam fulminis instar irruit subitoque occupat aegrum *), cur denique praecurrant prodromi morbos natura diuersos, cur adsint iidem nec morbus sequatur, at hos quidem prodromos nuncupare nefas est,

Si

*) D. S G. Vogels *Handbuch d. pr. A. W.* 2 *Band* p. 10. §. 6. *Stendal* 1788.

Si quidem vero ex his omnibus quorum mentionem fecimus sat liquet, difficilem esse in re medica prodromorum vsum, accedit, quod rarissime si vnquam medicus in auxilium vocetur, dum adhuc prodromi adsunt, qui plerumque ab aegrotantibus ipsis aut adstantibus manci atque ambigui referuntur *) Huc vsque igitur tantum obseruati sunt, et quantum ex earum de quibus diximus conditionum et discriminum ratione fieri potuit, iisdem vti operam dederunt artis periti. Sic v. c. omnibus patet adesse et deesse posse, maiori minoriue numero existere, mox e longinquo mox propere annunciare morbum. cet.

§. VII.

*) Huc pertinere videtur quod STOLLIVS praeclare monuit: *Medicus litteratos examinans facile errat, quod in narratione morbi suas opiniones substituant. Hoc hominum genus proprios morbos pessime exponit medico, vbi e contrario rusticus vere, genuine absque fuco rem narrat.*

M. STOLLII praelect. in diu. morb. chron. Vindob. 1788. p. 315.

§. VII.

De vſu medico prodromorum morbi tamen inſigni.

Nequo vero negare auſim, quantumuis discriminis obſtat, hebetudinem mentis potius quam rem ipſam eſſe accuſandam *), cur ex his phaenomenis tanquam morborum prodromis maiorem vtilitatem capere non liceat. Neque facile deerit, quem animo concipio, artis peritus, eo ingenio praeditus, vt modo dicta diſcrimina quodammodo auferat, remoueat, alia in ordinem redigat, et ſic morborum prodromis melius vti poſſit, quid quod multos iugulare morbos protinus atque ab illis annunciantur idem valebit, et

*) Sicuti in omni, quod caſum, ſortem appellare ſolemus

Caſu fortuitus, ait HIPPOCRATES, *nomen eſt cui nihil reſpondet, at το nihil in corpora agere nequit, nec aliquid efficere.*

His proxime accedunt, quae ſapienter monuit vir ſummus, qui ingenio et peritia inter reges eminet prout inter medicos HIPPOCRATES.

Fortuna, inquit, *et caſus verba ſunt, quibus idea non reſpondet, et ignorantiae quae tunc temporis mundum preſſit, cum ignotis rerum cauſſis earundem effectus ambigua denominatione dotati ſunt, ortum debere videntur.*

et ignis inſtar, qui iuſto et rite diſpoſito adparatu dum ſcintillis fumoque prodit, anteaquam flammas concipit, exſtinguere aegritudinem.

§. VIII.

De morbi ex principiis ſuis geneſi.

Verum enim vero prodromos morborum, quoad naturam, cauſſas atqe effectus morboſos exponere ſupereſt.

Simul ac igitur remotarum cauſſarum princeps, ſeminium, cauſſa praediſponens adeo inualuit, vt quodomodo in actum ducatur, tunc aut ſtatus quidam debilitatis ambiguae et morboſae incitabilitatis (ſit venia verbo) naſcitur, qui ſaltem medici attentionem excitare valet, aut functiones quaedam turbatae aperte monſtrant, quodnam oeconomiae animalis ſyſtema morbi ſeminium continet. Hic ſtatus magis eſt definitus et ad

*) Forſan exinde ratio petenda eſt, cur bruta minus afficiuntur morbis, quoniam, protinus ac praeſentiunt incommodum, haud deprauato ducuntur inſtinctu, quum e contrario homo remedia haud raro inepta eligit, inſtinctu adeo tuto a natura non praeditus ſit, aut eiusmodi ſaltem qui eodem gradu in homine non perficitur.

ad ſedem morbi inſtantis medicum ducere valet. Eandem quoque produnt occaſionales cauſſae, quae licet potentia inferiores ſtatum illum ſuſpectum denuo excitant euidentius, quum ſaepius repetuntur, quin etiam cum noxiae ſunt potentiae, frequenti recurſu ad morbum ipſae diſponunt. At haec omnia remotis morborum prodromis adnumeranda ſunt, qui praecipue in morbis hereditariis iisque, quos continuo atque frequenti errore homo ſibi contraxit, medici attentione digniſſima ſunt.

A quibus autem vel maxime diſtinguere oportet proximos morborum prodromos, qui nunc lento mox accelerato paſſu in veram morbi initium tranſeunt. Tum ſatis iam aucta energia et efficacia coincidunt cauſſa praediſponens et occaſionalis. Dein autem vehementius perturbatur machina viua, quae ita eſt adornata, vt quamuis ſubortam turbam aliae ſequantur phaenomenis ſuis cuique propriis manifeſtae. Eodem momento autem, quo ſtatus quem modo diximus cauſſarum remotarum effectus incipit, ſuis itidem phaenomenis conſpicuus, eodem momento, inquam, vim vitalem reagere auguror. At hoc idem eſt temporis momentum, ex quo inprimis omnia pendent, ad morbum enim abſolu-

tum

tum nil deeſt ac remotarum cauſſarum vlterior effectus, ſcilicet proxima cauſſa, quam nullo alio interuentu ſequitur morbus.

Duplicem autem reactionis niſum eſſe opinor, alterum, arcendi cauſſam proximam, alterum fugandi remotarum cauſſarum effectum. Illud quidem ſit eo ipſo, cum hoc alterum efficit vis reagens, neque vero vice verſa, id eſt alterum, ſcilicet ſtatus ille, qui eſt remotarum cauſſarum effectus non remouetur, quamuis cauſſa proxima arceatur. Haec igitur vario modo fieri poſſe liquet. Seu enim proximam cauſſam arcet reagens vis vitalis, ſtatumque remotarum cauſſarum effectum ſimul remouet; ſeu impedit, quo minus cauſſa proxima producatur remanente ſtatu remotarum cauſſarum effectu; ſeu denique neutrum ſit et citius tardiusue cauſſa proxima producitur.

Quaecunque autem ex his ſequuntur differunt, prout illa quae vario modo fieri poſſe diximus.

I) Vbi arcet vis reagens cauſſam proximam, ſimulque remouet cauſſarum remotarum effectum, tunc re ipſa elucet, ſtatum redire antea ſanum.

II)

II) Vbi autem impedit tantum, quominus caussa proxima producatur, neque vero remonet caussarum remotarum effectum, actio retardatur, donec tandem alterutrum contingat, atque aut status pristinus redeat, aut proxima caussa accedat.

III. Vbi demum neutrum fit et statim admittitur caussa proxima, de his infra amplius dicemus, quum de omnibus, quae ex his variis conditionibus sequuntur speciatim sermo nobis erit.

§. IX.

Continuatio eiusdem argumenti.

Anteaqunm autem ad haec transeamus, quoniam ad nostra pertinent quae concinne atque acute vt solet symptomatibus actiuis Gavbivs admonet, hic interferere iuuat. *)

Aliud, insuper, inquit phaenomenων genus in morbis occurrit, quae cum et aegris eueniant, et a sanitatis norma deflectant, generali quidem sym-

---

*) Gavbii Institution. patholog. Lips. 1771. p. 41.

ſymptomatum titulo comprehendi poſſunt: at longe diuerſam a prioribus originem habent, adeoque cum iis confundi minime debent.

Non bruta homo machina eſt, quae iniurias a rebus noxiis ſibi illatas iners accipiat ac patiatur. Mens intus eſt, quae moleſtiis ex morbo ſibi natis exagitata, anxia, quas habet in corpus agendi vires, intendit ad repellendum hoſtem. Corpus ipſum et ſua praeditum eſt incitatione, quae moderata quidem in ſanis acrius inſurgit praeſente malo irritata, inque enormes ſaepe impetus abripitur, vt morbi inſultibus ſeſe opponat. Conſenſus etiam hic datur ac mutua partium conſpiratio, quae vti vnum aliquod conſtituunt, idemque integrum collata quaeque ſua ſymbola conſeruare nituntur, ita cum earum alicui noxa imminet, aliae nec raro omnes, iunctis viribus, laboranti ſuccurrunt, communem in priuata cuiusque, et propriam in ſociorum ſalute propugnantes. His itaque viribus inſtructa hominis natura cauſis morbi non modo reſiſtit, ſed cum his etiam congreditur, initoque conflictu cum vi opponit. Quod cum aequabili, quo in ſanitate fluunt, actionum tenore efficere nequeat, inſolitus ciet motus, turbasque facit, turbis a morbo concitatis ſaepe maiores, vnde alia ſymptomata accumulantur.

Haec

Haec viri eximii verba eidem temporis momento applicare licet, quo remotae coincidunt caussae, reactione in medio relicta, statum a caussa remota productum inter et caussam proximam producendam conflictante, phaenomena autem, quae statum a caussis remotis effectum inter et caussam proximam producendam apparent, anteaquam hae coincidunt, haec, inquam, phaenomena prodromos accuratius appellari malim, si quidem caussa proxima reuera producitur. Ac haec phaenomena, vt satis liquet, vario modo oriuntur, scilicet actiua ex passiua, nec non illa quae ex ipso conflictu nascuntur.

X.

De vsu prodromorum morbi pathologico speciatum.

Multa quidem, vt nobis videtur, ex hac de prodromis notione melius explicari licet. Sic v. c. vbi reagens vis vitalis caussae proximae genesin cohibet, simulque statum a caussis remotis productum remouet adeo vt sanitas redeat, tunc accidit, quod prodromi adsint, nec morbus sequatur. Quam-

Quamuis in hoc casu prodromorum denominatio prorsus non competat phaenomenis, quae aut vi vitali valida, aut caussis remotis lenioribus et mitiori exinde suborto adfectu moderantur.

Vbi reagens vis vitalis proximam modo caussam nasci impedit, remotarum autem caussarum effectum haud remonet, et actio retardatur, quae tandem sufficiente efficacia in pristinum statum omnia redigit, id quidem ad priorem casum pertinet, vbi prodromos non sequitur morbus, eo tamen discrimine, vt in hoc casu diutius ac in priori adsint.

Accidit quoque vt, quamquam mora interfuit, reactio non sufficiat et proximam caussam admittat, id quod morbum sistit, quem diu ante prodromi antecesserunt. Eiusmodi autem malignos vt dicunt, morbos esse obseruatum est, id quod ita explicare ausim, vt quum frustrato conatu vis vitae tandem vincitur, vehementior propterea morbus appareat, cui accedit, quod temporis mora status ille a caussa dicta productus altiores radices agat. Constat quidem morbos, quos prodromi haud diu antea praecedunt, malignos esse, id quod tertius casus est, cuius adhuc superest mentionem facere, scilicet vbi a principio vis nulla reagit,

git, et caussa remota producta caussa proxima statim admittitur, quod triplici modo explicare licet. Etenim id fieri arbitror ex remotarum caussarum grauitate, cui nedum vis innata valida par est, aut caussa remota lenior est, et vis vitalis ex sua cuiusque natura aut vitio commisso debilis. Peior adhuc status est ille, vbi vtrumque locum habet, scilicet grauior remota caussa et debilis vis vitalis. At hoc in illis praecipue morbis, quos fulminis instar irruere dicunt, quinimo in morte ipsa sub quadam conditione locum habere duco.

Quae autem phaenomena modo dicta statum caussarum remotarum inter et caussam proximam praeducendam apparentia triplicis originis esse diximus, ea nolim transgredi gradum, in definitione nostra de prodromis constitutum. At hoc morbi principium nuncupari nequit, quoniam nondum evictum est, an illuc perueniat. Id enim in hoc statu demum indicatur, neque prodromi quidem nomen ex nostra sententia huc competit.

§ XI.

De vero morbi initio.

Quod si demum quouis modo caussa proxima admittitur, tunc nouus incipit status

tus, ſcilicet phaenomena illa altiori gradu apparent, quinimo ex hoc eodem nouo ſtatu noua et gtauiora exoriuntur phaenomena, et nunc temporis momentum incipit, vbi integer eſſe homo deſinit cet. Haec igitur phaenomena, quae poſtquam cauſſa proprima acceſſit, apparent, ſenſu quidem ſtrictiori eatenus quidem proximi morbi cuiusque prodromi nuncupandi ſunt, quatenus certo et indubitato morbus ea ſequatur. At haec quidem principium morbi appellari malim, et forſan haec ſunt, qui adeo ſaepius communtantur, reuera enim a morbi principio diſcetnendi, disiungique haud facile poſſunt. At in hoc temporis momento ſvmptomatum denominatio potius illis competere videtur, et exinde forſan ſymptomatum diuiſio petenda eſſet, id quod autem vltra proſequi non licet, ne libelli huiusmodi limites transgrediamur.

OPTIMO VIRO

JOSEPHO WOLFF

SVMMORVM IN MEDICINA HONORVM

CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

D. CAROL. AVGVST. GVILIELM.

BERENDS.

M. P. P. O.

Vix a rusticatione paucorum dierum reuertenti traditur mihi dissertationis Tuae vltima plagula typis iam exscripta, qua meam in Te voluntatem significare promiseram. Quamobrem, quum tempus non datum sit, vt singularem Tuam humanitatem, honestatem caeterosque optimos ac probatissimos mores disertis laudibus prosequar: saltim optime partos Tibi gratulor honores. Quos vero Tu, maiores merendo, orna atque auge. Mihi nunquam dubium fuit, quin a Te diligerer; neque ego quidem id facere unquam desistam. Vale itaque fruereque paratis. Dab. e museo Prid. Calend. Octobr. CIϽIϽCCIC.